



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus


Ingolstadii, 1728

Decisio LXXXIII. De Prælato alienante prædium suæ Mensæ sine consensu
Capituli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

& potestatem Cæsaris, non verò isti jura & potestatem Episcopi limitare possunt. Ad VII. non ipsum duntaxat pactum, & Capitulatio tantum, sed etiam ipsum juramentum ei adjectum à Jure Canonico *c. 27. cit.* & à Bullis Pontificum, præsertim Innocentii XII. allegatis est vel irritatum, vel irritum declaratum, ut nec obligationem Religionis parere possit, præsertim cum sine præjudicio tertii observari nequeat, & sine peccato tum contra Sacros Canones tum contra Jus Naturale: juramentum enim non potest esse vinculum iniquitatis. *c. 18. de jurejur.* nec servandum est cum præjudicio tertii, aut cum peccato. *arg. c. 28. eod. & c. 58. de R. J. in 6.* nimirum argumentò ductò à sensu contrario. Ad VIII. Æquitas non postulat, ut aliquis præster alteri, vel ut alii præstent sibi, aut præstari exigat, quod

Jura damnant, & licitè præstari non quit; imò dicitur contrarium. Ad III. Negatur *conseq.* quia argumentum contrario sensu deductum non concludit, ubi indè sequitur aliquid absurdum aut Juri repugnans, vel contrarium à Jure est expressum, & tenent plerique omnes. Dein in *c. proposuimus Pontifici est tantum sensus, quo Capitulum vivò Episcopo fecit constitutiones sine consensu Episcopi; ad quem Honorius III. respondit, illas non valere, quia præjudicarent Juri Episcopali: ergo, & etiam Capitulationes mortuò Episcopo & Sede vacante à Capitulo præjudicare possint, & illa, de qua est Sermo, præjudicasse videtur, res insertur, ex mente Pontificis præjudicantem rationis, etiam hæc non valere: ergo *d. c.* potius favet resolutioni, & ei nullatenus adven-*



TITULUS X.

De His, quæ fiunt à Prælato sine Consensu Capituli.

DECISIO LXXXIII.

De Prælato Ecclesiastico, prædium ad suam metropolitam pertinentem alienante sine Consensu Capituli.

SPECIES FACTI.

IN cujusdam Principis Ecclesiastici territorio constructa de novo & fundata erat Ecclesia Collegiata, cui

duodecim Clerici, qui sacras functiones inibi obirent prædicando Verbum DEI, jus poenitentibus dicendo

tribunali, legendo Missas &c. fuerit attributi. Quia verò pro horum sustentatione nihil, nisi census & parata pecunia, datum & constitutum erat, absque omni re immobili, præfati Clerici pro faciliiori & commodiori sua sustentatione supplicabant Principi, ut Prædium pingue, admodum vicinum, & perquam commodè situm, quinquem millibus florenorum æstimatum, sibi venderet pro dicto pretio, quod erat levissimum, eò quòd Principi, prædiis aliis, imò integris pagis, pro sua mensa destinatis abundantiam parum vel nihil decederet ex hac alienatione quoad competentem statum

sui conservationem & splendorem, præsertim cum ex pretio, quod reciperet, facile ipsi foret aliud bonum immobile sibi comparare, aut alio modo refarcire hoc prædium. Princeps, cum aliàs ob insignia horum Clericorum in suos subditos merita & obsequia spiritualia ipsis esset maximopere addictus, clementissimè annuit precibus, & hoc prædium, quod ob singularem affectum libenter donasset, si potuisset, haud gravatè Clericis præfatæ Ecclesiæ vendidit, & tradidit, at absque consensu sui Capituli. Unde exurgit

QUÆSTIO.

An hic Princeps Ecclesiasticus tam pingue prædium suum mensa non adhibito Capituli consensu validè vendiderit?

Rationes Dubitandi.

Prima pro valore sumitur ex l. alienatum ff. de V. S. ubi habetur, quod alienatum non intelligatur, quod est venditum; quia pro re distracta accipitur pretium: ergo, etsi alienatio rerum Ecclesiasticarum sine consensu Capituli generaliter sit interdicta, non tamen generali hac prohibitione continetur emptio-venditio.

II. Ex c. 3. de Empt. & Vendit. ubi sustinetur tanquam valida venditio sylvarum ad Ecclesiam pertinentis facta sine consensu Capituli Belvacensis, & propterea impugnata.

III. Ex c. 2. b. t. ubi approbatur & firmum robur habere declaratur con-

cessio Decimæ facta ab Abbatisa sciente & non contradicente Conventu: ergo, sicut ad alienationem Decimarum sufficit, modò non contradicat Capitulum, licet positivè non consentiat, ita, & quidem à fortiori, ad alienationem prædii Ecclesiastici sufficit non-contradictio Capituli, nec requiritur consensus illius expressus.

IV. Ex c. 2. de reb. Eccl. non alienand. in 6. ubi Prælati bona immobilia Ecclesiarum ad suam mensam pertinentium prohibentur alienare quidem, at solum in Laicos, & absque speciali licentia Sedis Apostolicæ. Gonzal. ad c. 1. b. t. n. 7. cum ergo Præ-

latus noster prædium ad suam mensam pertinens alienaverit non in Laicos, sed in Clericos, ac insuper consuetudo Germaniæ sustulerit necessitatem petendi licentiam Sedis Apostolicæ, alienatio valebit.

V. Ex *can. terrulas 53. caus. 12. q. 2.* ubi permittitur Episcopis & Prælatibus res modicas suæ Ecclesiæ etiam absque consilio Capituli potestas distrahendi: sed hoc prædium respectu nostri Prælati tot aliis bonis immobilibus abundantis videtur esse res modica: ergo.

VI. Ex *c. 6. de Except. §. porro.* ubi Episcopus probavit, quòd Ecclesia in temporalibus bonis pertineat ad se, & potestatem molendina, terras, & alia ejus bona alienandi, ac pro arbitrio disponendi de illis habeat: ergo à fortiori potestatem obtinet vendendi pro arbitrio & propria auctoritate unicum prædium; cum quilibet rerum suarum arbiter sit, & pro libitu disponere de iis valeat. *§. per traditionem Inst. de rer. divis. l. in re mandata 21. C. mandati.* nam hæc libera disponendi facultas est præcipuus dominii effectus. *Confirm. l. Prælati Ecclesiæ,* licet fortè non habeat plenum dominium rerum suæ Ecclesiæ temporalium, saltem est earum Administrator, & æquivalet Procuratori alienas res administranti *cum libera. can. 1. seqq. caus. 10. q. 1. c. conquerente de offic. Ord. Trid.*

§. 14. c. 9. §. 21. c. 4. de Resol. Procurator cum libera consuetudo potest vendere. l. qua ratione p. §. nihil autem 4. ff. de acquir. rer. dom. ergo. *Confirm. II. Hoc prædium pertinuit ad mensam solius Prælati, non verò simul Capituli: ergo illud vendendo nemini præjudicavit, neque Capitulo: ergo non opus fuit ullius, etiam Capituli, consensum requirere, & expectare.*

VII. Prælati Ecclesiæ potest propria auctoritate repudiare hæreticam Ecclesiæ suæ delatam. *can. 1. caus. 17. q. 2.* item legatum suæ Ecclesiæ relictum, quia legatum continet se lucrum. *l. 34. ff. de leg. II. continenter,* sicut servus Domino prædicare potest in acquirendo lucro. *l. §. si autem C. de acquir. heredit. & Prælati potest repudiare legatum.*

VIII. Denique, licet Jura legum requirent consensum Capituli, consuetudo tamen hanc necessitatem sustulit; cum teste Zerola *Prælati Episc. p. 1. V. Capitulum n. 8. apud Engel b. t. n. 5.* consuetudo prævigeat, ut Prælati etiam in negotiis majoris momenti procedant sine consensu & consilio Capituli: Lambertus autem apud Garciam *p. 5. §. 2. n. 241.* hunc Titulum, *de rebus quæ sunt à Prælato Episc. recedunt à Prælati Aula asserit.*

Decisio cum Ratione Decidendi.

Hæc tamen omnia tanti roboris non esse existimo, ut non (salva cu-

juscunquæ aliter sentientis opinione, verius esse existimem, spectatis

in omnibus venditionem hujus prædii à Prælato Ecclesiastico sine consensu Capituli invalidè attentatam fuisse; sed quòd omnis alienatio rerum immobilium ad Ecclesias pertinentium, præsertim quæ fit per donationem, venditionem, & permutationem, non solum prohibeatur à SS. Canonibus, sed etiam difertè irritetur, uti in *can. non liceat 20. can. placuit 51. can. sine exceptione 72. caus. 12. q. 2. c. 5. de reb. Eccl. alienand. c. 1. c. 8. b. t.* & alibi scriptus. Text. in *c. 1. cit.* sic habet: *irritatur & Episcoporum donatio vel venditio vel commutatio rei Ecclesiastica* (immobilis, ut concordet cum aliis textibus) *absque iurisdictione* (consensu) *& subscriptione Clericorum.* Ea nimirum de causa, ne res Ecclesiasticas immobiles, ex quarum stabilibus redditibus sustentare oportet Episcopos, Prælatos, & alios Ecclesie ministros, facta tecta servare, & ad cultum Divinum necessaria comparare, contingat transferri in alios

contra piorum Fundatorum intentionem, & cum notabili cultus Divini dispendio: id quod seclusa tali prohibitione & irritatione alienationis facile eveniret, cum res Ecclesiastica administrari debeant à Prælati & Clericis, qui earum dominium non habent, nec ad suos hæredes transferre valent; nimirum ad exemplum rerum immobilium ad Pupillos & minores pertinentium, quas isti non per se ipsos administrare possunt, sed per alios debent, quarum rerum alienationes sine certis solemnitatibus Jura Civilia alienari non permittunt. Cum igitur prædium quæstionis sit bonum immobile, & quidem satis notabile ac non exiguæ considerationis, atque non obstante, quòd mensæ Prælati seu hujus competenti sustentationi fuerit destinatum, censeatur pertinere ad ipsam Ecclesiam, invalidè alienatum & venditum esse tenendum est, spectato rigore Juris.

Respondetur ad Rationes Dubitandi.

Ad I. Legi alienatum cit. oppono *l. 6. § l. 67. ff. de contrab. empt.* ex quibus colligitur, etiam venditionem esse alienationem; quia est contractus tendens ad translationem dominii, *lib. 7. 4. ff. eod.* Quidquid sit de alienatione in aliis materiis & personis; certum materia subiecta, nimirum in alienatione rerum Ecclesiasticarum, inter species alienationis, & quidem præcipuas, ubique ferè in SS. Canonibus recensetur venditio, uti in *c. 1.*

§ 8. b. t. c. 5. de reb. Eccl. alienand. &c. Sicut in materia alienationis rerum pupilli & minoris, item dotalium, venditio de Jure Civili pro alienatione prohibita statuitur *l. 1. § t. t. c. de prædiis minor. l. 17 ff. de fundo dotali.* imò sub venditionis voce alias quoque alienationis species contineri docent multi apud Gonzal. *ad b. t. c. 1. n. 8. 9.* uti & quòd non solum prohibita & irritata sit venditio rerum Ecclesiasticarum immobilium sine ju-
sta

sta causa & solemnitatibus, ubi simul accedit traditio, verum etiam ipsa venditio sine traditione, per quam primum transfertur dominium, & fit actualis alienatio; quia per illam venit ad alienationem, & sic datur periculum lædendæ Ecclesiæ (adeoque ratio Juris jam datur in nuda venditione) *arg. l. fin. C. in quib. caus. in integr. restit. Gonzal. n. 9. cit. adeoque l. alienatum*, quæ loquitur de re vendita, non tradita, quo casu strictè alienatio non datur, cum dominium non transferatur, hic non est ad rem.

Ad II. Ibi ex duplici causa actum est ad rescissionem contractus, nempe propter læsionem ultra dimidium justii pretii, & propter defectum consensus Capituli: ob primam causam fuit lata sententia, & à Pontifice eò reformata, ut sylva vel restituatur Ecclesiæ, vel suppleatur pretium, electione data emptori, juxta *l. 2. C. de rescind. vend.* ob alteram causam nihil fuit decisum, sed Ecclesiæ reservatum, ut probet, emptionem-venditionem sylvæ contigisse absque consensu Capituli: ergo ibi non sustinetur emptio-venditio sylvæ absque dicto consensu tanquam valida; quia de hoc defectu nondum constabat.

Ad III. Ibi per *Decimæ* concessionem non intelligitur alienatio Decimarum, vel alterius rei aut juris Ecclesiastici, sed presentatio ad Beneficium Ecclesiasticum, adeoque in presenti *Decimæ* non significat, quod sonat, sed denotat Beneficium, uti in *c. vestra de locat.* Ratio sic interpretandi est, quia

ibidem refertur, Episcopum concessisse hujusmodi decimæ Concessionem, seu instituisse in Beneficio presentatum, & Archidiaconum de illa investituram per clavem & liberam quæ institutio canonica Episcopi, corporalis investitura Archidiaconi peculiaris sunt Beneficii Ecclesiastici per *c. 3. de Instit. & c. ut nostrarum Offic. Archidiacon.*

Ad IV. Per hoc, quod in d. c. prohibeatur alienatio rerum Ecclesiasticarum in Laicos, non concessio potestas liberè alienandi in Ecclesia vel personas Ecclesiasticas, uti ostenditur in *Candid. Jurisprud. sacre ad tit. de Eccl. alien. & tit. de rer. permitt.* Item quia alii Canones simpliciter distinctè prohibent alienationem partim quia ibi non per modum restrictionis, sed occasione facti ad beneficium delati, fit mentio Laicorum partim quia ratio, ne Ecclesiæ decimæ perentur, & cultus Divinus in quibus Ecclesia contra intentionem Fundatorum minuat per alienationem, procedit in casu, quo fit alienatio in aliam Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas, partim quia causa, ne beneficium debeat devenire ad Laicos, non finalis & principalis, sed solummodo impulsiva, & præter principalem causam etiam specialis & secundaria, non major indecentia, concurrunt, sed alienatio in Laicos.

Ad V. *N. Min.* Si enim agatur de rusticum mancipium, non reputatur inter res modicas, alienatio in missas, ut clarè habet *c. 5. de*

vel alien. nec erit inter res modicas
comendum integrum pradium tanti
valoris, ad 17. millia ascendentis: imò
in cau. 20. § 51. caus. 12. q. 2. ex-
pressè prohibetur alienatio prædii.
Quòd Pralatus iste abundet aliis ad-
huc bonis immobilibus, nihil vide-
tur facere ad rem; quia SS. Canones
alienationem prædiorum, & rerum
immobilium magni valoris prohiben-
tes non distinguunt inter divitem &
pauperem Ecclesiam, an alia adhuc
superint bona immobilia, vel non,
an multa vel pauca: ergo nec nos
debemus distinguere.

Ad VI. Ibi non refertur decisio
Pontificis, sed solum narratio Partis.
Ibi tantum decidit Pontifex, quòd ille
Episcopus non satis probaverit, quòd
Ecclesiam, ejusque molendina & alia
bona ex diuturnitate possessionis quasi
sua fecerit, & liberam potestatem dis-
ponendi de illis consecutus sit. Quid
autem potuisset Episcopus, casu quo
ea sui juris esse probasset, Pontifex ni-
hil determinat. Ex hoc, quòd hoc
pradium pertineat ad mensam Episco-
pi, non sequitur, quòd hoc pradium
non spectet ad Ecclesiam, aut quòd
libere ipsius dispositioni sit relictum,
eo quòd per liberam dispositionem
facile posset evenire præjudicium Suc-
cessoris, consequenter & Ecclesie.
Unde communis habet doctrina, quòd
Pralatus neque res ad suam mensam
separatam pertinentes alienare valeat
sine consensu Capituli. gloss. in c. 1. de
reb. Eccl. non alien. in 6. v. defensore
in f. & ibi Francus n. 20. Barbosa de
(R.P. Viehier Decisiones.)

Canonis c. 42. n. 7. & de Off. & pot.
Episc. p. 3. alleg. 95. n. 70. allegans
Rotam decis. 18. n. 3. p. 1. Recentior.
& alios Auctores. Feder. Sen. conf.
142. n. 2. Card. Tusch. to. 1. litt. A.
conc. 271. n. 52. Ad Confirmationem
I. Est quidem Pralatus rerum Eccle-
siasticarum Administrator, at cum li-
mitata potestate, ut non alienet: un-
de neque Procuratori cum libera com-
parari debet, sed potius Procuratori
generali, cui alienatio non est con-
cessa. l. 1. §. 1. ff. de Offic. Procur. Cæ-
saris. Dein etiam Procurator cum li-
bera tunc tantum alienare permittitur,
si bona fide procedat, & alienatio sit
utilis domino. l. qua ratione ff. de ac-
quir. rer. dom. cit. si verò utilis non
fuerit, alienatio non nocebit Domi-
no. l. 63. ff. de Procurat. favet quo-
que l. 12. ff. de Pactis. l. 17. §. Procu-
rator. ff. de jurejur. § l. 1. cit. 2. Ad
Confirm. II. Conc. Ant. N. Conf. quia
talis alienatio rei ad mensam Pralati
pertinentis non fit sine præjudicio Ec-
clesie, ad quam res pertinet quoad
dominium, non ad Pralatum, item
Successoris in Pralatura. Certè si li-
berum foret Pralatis alienare res ad
suam mensam pertinentes, brevi &
facile posset contingere, ut successive
ita imminuerentur bona ac redditus
Pralatorum, ut competenter vivere,
& pro dignitate Ecclesie regimen ex-
ercere nequirent; quod, quia Præ-
lati cum Capitulo repræsentant Eccle-
siam, ipsi Ecclesie, & Successori, &
Capitulo, saltem mediata ac indirectè,
grave damnum & præjudicium inferret.
P p p Ad

Ad VII. Jam alias negavi, nempe ad tit. de reb. Eccl. alien. in meo Candidato, Prælati potestatem repudiandi hæreditatem, vel legatum, ut inter alios etiam tenet ac docet Gibal. de Negotiat. l. 4. c. 8. sect. 5. quia ipsis non solum prohibitum est res Ecclesiæ alienare, sed etiam jura illi competentia. c. 2. in 6. § Clem. 1. de reb. Eccl. non alien. adeoque nec jus Ecclesiæ delatum repudiare, & ita Ecclesiæ in acquirendo præjudicare. Molin. de Jure, § Just. tr. 2. d. 468. n. 12. Gratianus discept. cap. 674. Redoan. de reb. Eccl. alien. q. 2. c. 12. Delbene, & alii, quos laudat & sequitur Valeron. de transact. tit. 4. q. 1. n. 7. apud Gonzal. ad tit. de reb. Eccl. alien. c. 5. n. 13. Ad can. fin. caus. 17. q. 2. facilis est responsio, quia ibi solum prohibetur, ne incognitus, servus, vel libertus intra triennium recipiatur in Monachum, & si servus vel libertus intra hoc tempus quærat à domino suo, ut reddatur ei cum omnibus, quæ ille attulit Monasterio; quæ non sunt ad rem nostram. Ad l. fin. C. de acquir. hered. (si tamen textus hoc dicat, quod equidem non reperi) ajo, ex eo, quod servus in

lucro acquirendo possit præjudicare Domino, non sequi, quod etiam Prælati possit sic præjudicare Ecclesiæ quia hoc in Jure non exprimitur, alienatio rerum & jurium Ecclesiæ prohibita, utpote favorem Ecclesiæ principaliter respiciens, debet accipi in sensu ampliori, ut etiam comprehendat alienationem minus propriam dictam, qualis est repudiatio hereditatis vel legatum jam quæritur Ecclesiæ.

Ad VIII. Si Consuetudo probata legitime fuerit, sicut probari debet alienandi hujusmodi prædia ad usum Prælatorum spectantia, doctores libenter; quamdiu verò probata fuerit, standum est Juri scripto. Rolandus & Lambertinus dicunt nunc videmus enim ab Episcopis & Prælati sæpius in causis arduis, ac in specie circa alienationem rerum in utilitatem majoris considerationis, ad hodiernum consensum Capite. Pariter, si respectu Ecclesiæ valde utilis ejusmodi prædium vi consuetudinis putetur pro re modica, & hoc probetur, non amplius repugnabit.

